



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

VIII. Christum non pertulisse pœnas damnatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)

Isaac non moritur, nisi quia, quod proprium est homini, mortale Christus præstitit, hoc est, animam? Anies? Sed animal irrationale, qui in eius locum ad mortem substituitur, corpus est.

Hæc sententia non eget refutatione, nam est fundamentum Atheismi. Si enim Christus, quia diuinitate suffultus erat, animam immortalem retinuit in morte corporis, ergo ceteri homines, qui nō sunt suffulti Diuinitate, in morte penitus extinguuntur: Non igitur anima humana est immortalis.

DICET fortassè, pios non extinguere in morte, quia pro se & pro suis Christus mortem vicit. Ergo saltem omnes impii extinguuntur penitus. & hoc est descendere in infernum. NEGAT id in fine libri Calvinus, vbi asserit, etiam impios viuere post mortem, licet in pœnis. At hoc non bene coheret cum superioribus. aut enim ipse non bene probat, Christi animam mansisse immortalem ex eo, quod Diuinitati coniuncta, non est permessa ruere in infernum, aut certe loquitur, animas impiorū, quæ in infernum ruunt, placere extingui. Præterea S. Petrus, Act. 2. non dixit, Christus non fuisse in inferno, sed non ibi longo tempore retentum. Et in Symbolo nōne legimus: *Descendit ad inferos*? ergo descendere ad inferos est interire, etiam Christi anima interiiit, licet postea fuerit excitata. at hoc ipsum est, quod voluit Anabaptistæ. Igitur Calvinus sententia & seipsam destruit, & atheismo viam aperit.

CAPVT VIII.

CHRISTVM non pertulisse penas damnatorum.



ALTEA sententia est eiusdem Calvinus libro Institut. cap. 16. §. 8. 9. 10. 11. & 12. in Catechismo paruo; in psychopannychia, & in harmonia Evangelica ad caput 27. Matthæi, vbi docet, Christum dici descendisse ad inferos, quia passus est dolores animarum damnatarum.

Vt autem id facilius intelligatur, quædam annotationes

sunt. Ac PRIMVM obseruandum est apud Caluinum, nul-
lum esse locum subterraneum pro impiis, nec purgatorium,
nec etiam limbum Patrum. Nam lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. di-
cit, esse pueriles fabulas ista omnia; de qua re paulò post tra-
ctabimus. In libro autem 3. Instit. cap. vlt. & in psychopan-
nychia docet, nihil esse aliud, pœnas damnatorum, quàm
terrorem, & anxietatem conscientia cogitantis, Deum sibi
esse iratum & infestum.

NOTA SECUNDO, Christum secundum Caluinum, de-
scendisse ad inferos, quia apprehendit Deum tanquam sibi
iratum, & infensum propter nos, & ex metu salutis propriae
amittendae, incredibilem anxietatem animi passus est, qua-
lem pateretur, qui sciret se in æternum esse periturum. Vnde
etiam verba desperationis eum protulisse affirmat lib. 2. In-
stit. cap. 16. §. 10. *Diros in anima cruciatus, inquit, damnati ac
perditi hominis pertulit.* Et §. 11. dicit, eum non fuisse secu-
rum de salute. *Christus ergo, inquit, cum lacrymis & clamo-
re & valido orans, à metu suo exauditur: non ut à morte sit im-
munis, sed ne absorbeatur ut peccator; quia illic personam
nostram gerebat.* Et certè nulla fingi potest magis formidabi-
lis abyssus, quàm sentire te à Deo derelictum, & alienatum,
& cum inuocaueris, non exaudiri: perinde ac si in tuam per-
niciem ipse conspirasset. Et infra: *Ita cum Diaboli potestate,
cum mortis horrore, cum inferorum doloribus manum conse-
rendo factum est, ut referret de illis victoriam.* Et §. 12. *Hic,
inquit, nebulones quidam, licet indocti, malitia tamen magis,
quàm inscitia impulsu clamitant, me atrocem facere Christo
iniuriam, quia minimè consentaneum fuerit, eum de anima
salute timere, &c.* Itè in harmonia explicans 27. cap. Mat-
thæi, dicit, Christum non quidem desperasse, tamen emi-
sisse vocem desperationis, cum ait: *Deus, Deus meus, ut quid
dereliquisti me?*

NOTA TERTIO, secundum Caluinum Christum cœ-
pisse versari in inferno, illa hora, qua in horto cœpit con-
tristari, & orare. Deinde profundius descendisse, quando
in cruce clamauit; *Deus, Deus meus, &c.* Denique profun-
dissimè, quando coram Dei tribunali comparuit tanquam
reus æternæ mortis, & seuerissimum iudicium irati Dei su-
stinuit. Ita docet lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. *Si nunc, inquit,
2 3 rogat*

roget quispiam, an tunc descenderit Christus ad inferos, cum mortem deprecatus est: respondeo, hoc fuisse exordium, unde colligi potest, quàm diros & horribiles cruciatum perpessus fuerit, cum se ad tribunal Dei reum stare cognosceret nostra causa. Hæc ille. Et quamuis nõ apertè dicat, quomòdiu fuerit in inferno, tamen innuit fuisse usque ad resurrectionem.

NOTA QUARTO, Calvinum tribuere huic pœnæ infernali totam ferè nostram redemptionem, ita ut sine hoc descensu ad inferos mors in cruce non fuerit futura ullius pretij. Ita enim loquitur libro secundo Institut. cap. 16. §. 10. Nihil, inquit, actum erat, si corporea tantum morte defensus fuisset Christus. sed opera simul pretium erat, ut divina ultionis severitatem sentiret. Et infra: Unde etiam eum reportavit cum inferorum copiis, aternæq; mortis horrore, quasi confertis manibus luctari. Similia repetit, & silius in cap. 2. Matthæi.

Hæc est Calvinii sententia, quam videntur etiam ex parte sequi Melanchthon & Brentius. Siquidem MELANCHTHON in Locis, capite de Filio, bis dicit, Christum luctatum gravissimè cum tentatione de abiectione. BRENTIUS in cap. 2. Actor. dicit, Christum passum esse dolores inferni. Et in libro de Christi maiestate, in secunda parte, ubi agit de ascensione, nihil aliud ferè docet, quàm inferos non esse certum aliquem locum, sed statum damnatorum. Immo addit, ubique esse inferos, ubi sunt impij, qui tentantur de æterna sua damnatione.

Et hinc tandem processit illa incredibile blasphemæ cuiusdam apostatæ, cuius meminit Ioannes Cochleus in actis Lutheri, & Laurentius Surius in historia anni M. D. XXVII. qui asseruit, Christum desperasse, & esse damnatum: & fortè in pœnam huius peccati Calvinus in mente desperavit, & maledixit diei, quo libros scribere cepit, in quibus eius vita legimus, cap. 22. *Demonibus, inquit auctor, maledicatis, iurans, execrans, & blasphemans miserè expravit. Cuius illi testimonium perhibuere, qui decumbenti ad extremum & que halitum ministrarunt. Immo hoc etiam, quomòdiu diem atque horam detestatus sit, & execratus, quam longè quam studio, vel scripturionibus impendisset.* Hæc Hieronymus

mus Hermes Bolsec, medicus Lugdunensis, qui Caluini vitam scripsit.

Refellitur hæc noua & inaudita impietas. PRIMO, quia Scripturæ totam salutem nostram tribuunt sanguini & morti corporali ipsius Christi, & post mortem corporalem nullam vltius pœnam agnoscunt. Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, &c.*

Vides, hîc nullam mentionem fieri inferorum, sed obedientiæ vsq; ad mortem omnia tribui; & mox subiungi exaltationem. Item Psalm. 21. & Isa. 53. describuntur sigillatim omnes Christi afflictiones: nulla autem mentio inferni. Matth. 20. Marc. 10. Luc. 18. prædicit Dominus Apostolis passionem suam, & nominat flagella, sputa, crucem, mortem; & subiungit continuò: *Et tertia die resurget.* Et vbi, quæso, reliquit dolores damnatorum, & cruciatus gehennæ? Rom. 5. *Commendat autem caritatem suam in nobis, quia eum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Ephes. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius.* Coloss. 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, qua in cælis, & qua in terra sunt.* Hebr. 9. *Per proprium sanguinem introiit semel in sancta, aeterna redemptione inuenta.* 1. Petr. 1. *Non corruptibilibus, auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incõtaminati Christi.* 1. Ioan. 1. *Sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* Denique Apocalyp. 5. *Sancti clamant in cælo; Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, &c.*

Vide ergo, quàm sit verum quod dicit CALVINVS, corporali morte Christum nihil egisse, sed inferni doloribus; cum Scripturæ passim inculcent, nos Christi morte redemptos, dolorum autem inferni ne meminerunt quidem. nam quæ loca pro se Caluinus adducit, paulò post demonstrabimus, nihil ad rem propositam facere.

SECUNDO, probatur ex circumstantiis passionis Christi; Nam si ab oratione illa in horto, vsque ad resurrectionem Christus fuit in inferno, & Deum, vt sibi aduersum & iratum apprehendebat, & non erat securus de sua salute, quomodo tam audacter dicebat Caiphæ: *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli?* Item Pilato: *Re-*

gnum meum non est de hoc mundo? Item; Quomodo orat Patrem pro crucifixoribus suis? Quomodo promittit latroni paradysum? Quomodo Patri animam suam comendat? Certe hæc non sunt signa diffidētis de benevolentia Patris, multò minùs desperantis, aut metuentis de salute propria.

TERTIO probatur, quia si redempti essemus per infernales pœnas Christi, deberent figuræ præcessisse, debent etiam aliquod Sacramentum extare in memoriam tanti beneficii, ut est Eucharistia in memoriam passionis. Item Ecclesia deberet celebrare memoriam huius beneficii, ut celebrat memoriam natalis Domini, passionis, mortis, resurrectionis. Item deberet depingi Christus in igne gebeonæ in medio damnatorum, ut pingi solet in cruce inter duos latrones. at nihil tale videmus fieri, aut legimus inquam scriptum; ergo Ecclesia vel semper fuit ingratiſſima, vel figurata sunt quæ docet Calvinus.

QUARTO, omnes Patres, qui descensum Christi ad inferos describunt, describunt ut descensum victoris & triumphatoris, non ut rei, nec vlllo modo iudicant Christum aliquid passum in inferno. CYRILLVS catech. 14. *Errata est mors, inquit, videns novum quendam descendentem in infernum vinculis, quæ illic sunt, non ligatum. Quæ causa, o porta inferi, hunc videntes exhorruistis? Quis in faciem vos cepit timor?*

AMBROSIVS lib. de mysterio Paschæ, cap. 4. *Experti peccati Christus cum ad tartari ima descenderet, seras inferni, ianuasque confringens, vinculas peccato animas mortis dominatione destructa, à Diaboli faucibus revocavit ad vitam, atque ita diuinus triumphus æternis characteribus est conscriptus.* Similia habent HILARIUS lib. 10. de Trinit. Augustinus epist. 99. ad Euod. Chrysostomus, Eusebius Emisenus, & alij in homiliis de Paschate. Procul igitur à doctrina Patrum abest Caluini sententia, quæ Christum non victorem, sed reum ad inferos demittit.

QUINTO, fundamentum Caluini est falsum, quòd videlicet esse in inferno, nihil sit aliud, quàm timere Deum iratum. Nam ista est hæresis damnata in Origene, teste Hieronymo, in epistola ad Auitum. Præterea inde sequeretur, multos hinc viuentes iam esse in inferno, & esse damnatos, quod

certè repugnat statui huius vitæ. Quàm multi enim in hac vita reperiuntur, qui certè sibi persuadent, Deum se habere iratum? Quàm multi qui de salute æterna desperare incipiunt? Num igitur illi omnes iam apud inferos degunt? Quid est hoc aliud, quàm inferos omnino negare, & atheismo viâ munire? Denique ostendemus paulò post, veros inferos esse loca subterranea.

Sexto, si Christus emisit verba desperationis, certè videtur gravissimè peccasse; quomodo autem per peccatum nos à peccato redimere potuit?

Respondet CALVINVS, Christum emisisse verba desperationis, & timuisse de sua salute, quantum ad sensum carnis, tamen nunquam fuisse destitutum fide, & spe in Deum, quæ illum erigebat contra tentationes desperationis. Nam et si dixit; *Ut quid dereliquisti me*, quæ sunt verba desperationis, tamen etiam dixit; *Deus meus, Deus meus*, quæ sunt verba fidei & spei. Hæc enim sunt eius verba in cap. 27. Matth. *Sed absurdum videtur, Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen stetisse fidem eius in corde.* Et infra: *Quod satis clarè patet ex duobus quarimonis membris. Nam antequam tentationem exprimat, presatur se ad Deum confugere, tanquam Deum suum.* Et infra: *Cum desperatione, inquit, luctatus est; non fuit tamen victus.*

At contra. PRIMO, Christus verè pertulit statum damnatorum secundum Calvinum. Hæc enim sunt verba eius lib. 2. cap. 16. §. 10. *Diros in anima cruciatus damnati ac perditii hominis pertulit.* Et ibidem: *Significat, inquit, Prophetam in locum sceleratorum sponsores, ac vadem, adeoq; instar rei summissum, qui dependeret, ac persolveret omnes, quæ ab illis expectanda erant, pœnas, & hoc duntaxat excepto, quod doloribus mortis non poterat detineri.* Et in Catechismo paruo, in expositione huius articuli, dicit, hoc interfuisse inter damnatos & Christum, quòd illi perpetuè, iste ad breue tempus pœnas sustinuit.

At pœna damnatorum includit essentialiter desperationem salutis, sicut felicitas includit certitudinem salutis nunquam amittendæ. Spes autem cum desperatione consistere non potest, ergo Christus vel simpliciter desperavit, vel verè

non pertulit pœnas damnatorum, & proinde secundum Calvinum, non verè nos liberavit.

Præterea, quando Christus emisit verba desperationis, ut Calvinus dicit in cap. Matth. 27. vel emisit deliberata voluntate, vel non. Si primum, ergo verè desperavit, & peccavit. Si secundum, ergo in Christo fuit inordinatio passionum, quandoquidem potuit metus prævenire rationem, & extorquere vocem desperationis inuita voluntate. At hoc est contra ipsum Calvinum, qui lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. dicit, Christi naturam fuisse perfectã, & nullam in eo fuisse passionum inordinationem.

Præterea, quomodo potest vel cogitari, ut in eadem sententia, prima pars sit deliberata, secunda indeliberata? At in illa sententia: *Deus meus, quare dereliquisti me.* Illa verba (*Deus meus*) sunt verba fidei & deliberata secundum Calvinum, quomodo ergo sequentia (*Quare me dereliquisti*) possunt esse verba desperationis indeliberata? An Christus tam imperfectus & inconstans fuit, ut nõ posset ex fide quatuor verba cõtinuare? At, inquit, *vis doloris extorsit.* Et nunquid non dolebat, quando dixit, *Deus meus?* cur ergo etiam ista non sunt extorta?

Adde, quod idem Calvinus in commentario Psalm. 22. dicit, ista verba (*Deus meus*) esse correctionem illorum, *Quare me dereliquisti.* At quis vnquam audiuit correctionem præponi errori? Nõne correctio sequi debet errorem? Neque igitur illa verba exciderunt indeliberatè, & proinde deliberatè Dominus desperavit, si vllò modo desperavit. Audeat igitur Calvinus, & ad cetera sua peruersa dogmata adiungat etiam hoc; & Agno Dei, qui tulit peccata mundi, non solum peccatum, sed etiam maximum peccatorum tribuat.

Deniq; Christus, Caluini sententia, dubitavit de sua salute, quando ad inferos descendit, ut supra ostendimus ex lib. 2. Instit. cap. 16. §. 12. At idem Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. §. 16. docet, dubitare de sua salute esse peccatum contra virtutem fidei, ergo Christus contra fidem peccavit. Respondebit, in Christo non fuisse dubitationẽ deliberatam, sed immixtam Diabolo per tentationem. Sic enim ipse respondit in eodem lib. 3. cap. 2. §. 17. de fidelibus, quos dicit cum fide pati dubitationum tentationes.

At ibidem §. 18. idem Calvinus asserit, has dubitationes, licet non extinguant fidem, tamen oriri ex imperfectione fidei, quæ cum non plenè replet & occupat nos, non etiã perfectè curat ab omni diffidentia morbo, ergo saltem cogetur Christo tribuere fidem imperfectam, & diffidentia morbu. quandoquidem illi tribuit dubitationem de propria salute. En igitur quàm bene pugnat Calvinus pro gloria Christi, quando non solùm non tribuit illi beatitudinem cum Catholicis, sed ne perfectam quidem fidem cum Lutheranis. Sed argumenta eius videmus.

PRIMUM argumentum sumit ex Isaia, cap. 53. vbi dicitur Christus à Deo percussus; Hinc enim colligit, Deum iratum & infensum sibi Christum sustinuisse.

Respondeo PRIMO, Christum dici percussum à Patre, nõ quia Pater illum oderit, sed quia permisit occidi pro nobis, vt explicat Apostolus Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Quodmodo, quando Abraham filium suum immolare voluit, vt Deo obediret, nec filium oderat, nec filius putabat se odio haberi, sed intelligebat id fieri ad obedientiam Deo præstandam, sine vlla ira, vel odio erga se. Dico SECUNDO, istam percussionẽ à Hieronymo, & omnibus aliis expositoribus referri ad solã mortem temporalem, non ad pœnas gehennæ, de quibus nullus veterum somniauit, cum de passione Christi ageret. Dico TERTIO, figmentum esse Caluini, omnes qui percutiuntur à Deo irato, pati pœnas infernales. quàm sæpe enim Deus in hoc mundo flagellat impios, qui tamen non dicuntur propterea iam esse in inferno?

SECUNDVM argumentum ex eodem cap. 53. Isaia: *Correctio pacis nostræ super eum.* Ergo Christus luere debuit omnes pœnas, quas nostra peccata merebantur. Sed nostra peccata non merebantur solam mortem corporis, sed etiam pœnam gehennæ: Christus igitur sustinuit etiam pœnas gehennæ. & sanè alioqui solùm Redemptor corporum esset.

RESPONDEO; Si hoc argumentum aliquid concluderet, debuisset Dominus aeterno tempore manere in inferno, & infinitum propè numerum pœnarum perpeti. Nos enim merebamur aeternam damnationem, & sumus propè infiniti

infiniti

infiniti qui hoc merebatur. Vt ergo Caluinus cogitur admittere, vnam pœnam temporalem Christi satisfacere potuisse pro multis æternis: Ita nos dicimus, mortem corporis Christi satisfacere potuisse pro morte animarum omnium. Pretium enim redemptionis à Christo persolutum non debet pensari ex multitudine, vel qualitate, vel diuturnitate pœnarū, sed ex dignitate personæ, quæ patiebatur, & ex caritate, qua patiebatur. Nec sequitur, solum corporum esse Redemptorem, tum quia Christus animo & corpore passus est, tum etiam quia vna pœna corporis erat infiniti pretij.

TERTIVM argumentum sumit ex illa tristitia & metu, quem in horto passus est Dominus, Matth. 26. Nam si solum timuisset mortē corporis, fuisset infirmior multis patris hominibus, qui audacter mortem subeunt. Certè multi martyres in passionibus exultabant, nec solum martyres, sed etiam ipsi latrones saepenumero constantissimè moriuntur. Qui verò timidiore sunt, trepidant quidem, sed nunquam se adeò vinci, ac deiici à perturbatione patiuntur, vt sanguinem sudant; at Christus horrebat, cadebat, sanguinem sudabat, Angelica consolatione indigebat, ac demum in agonia positus prolixius orabat. Aut igitur infirmior omnibus hominibus fuit, aut non solum corporis mortem, sicut ceteri, sed etiam animæ periculum metuebat.

RESPONDEO, Sanctos Patres variè exposuisse hunc timorem Christi, nullum tamen vel minimo verbulo insinuasse, hunc timorē Christi fuisse de salute animæ. HIERONYMVS in cap. 31. in Matth. dicit, Christum nihil timuisse pro se, sed pro discipulis, quos prouidebat negaturos. Sed cum ait: *Transfer calicem à me*, voluisse dicere, *Transfer à me ad alios, id est, fac vt sicut ego alacriter bibo, ita etiam mei discipuli bibant.* HIERONYMVS in cap. 26. Matth. dicit, Christum tristem fuisse propter populum Iudæorum, quem videbat illa nocte grauissimè peccaturum, & ideo dixisse; *Transfer calicem istum à me, id est, fac ne illi me occidat, sed aliqui alij, &c.* Ambrosius in cap. 22. Lucæ, & Chrysostomus in cap. 26. Matth. dicunt, Christum naturali affectu mortem corporis horruisse.

Ad ARGVMENTVM autem Caluini respondeo, Si Christus non potuisset nō timere, & coactus timuisset, merito infirmior multis videretur. At non ita est; nam timuit, quia voluit,

luit, ceteri si non timent, vel est, quia Deus infundit consolationem maiorem, quam sit ea pœna; vel quia Diabolus obstupescit sensum aliquorum sibi addictorū; vel quia auerūt animum à cogitatione pœnarum, & alibi eum defigunt, quamuis rarissimi isti sint.

At Christus, vt copiosa esset redemptio, voluit etiam pœnam mœroris & timoris subire, & ideo nec obstupescit sensum suū, nec permisit vt redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem, nec auertit cogitationē à morte imminente, sed potius de industria defixit mentem in omnia tormenta impēdentia, quod sine dubio summæ fuit fortitudinis & caritatis. Nam vt ait Euangelista Matth. 26. *Assumpsit Petrum, Iacobum, & Ioannem, & tunc cepit mœstus esse, &c.* Quare tunc cœpit, nisi quia tunc voluit? Nam etiam antè sciebat se moriturum, cū hoc prædiceret discipulis, & Sacramentum institueret, in memoriam passionis suæ, & tamen non solum non metuebat, sed etiam consolabatur mentes discipulos, vt patet Ioan. 14. & 15. Vnde etiam finita oratione, quia non amplius voluit timere, non amplius timuit, sed alacriter occurrit se quærentibus ad mortem, & in toto decursu passionis suæ nullum signū timoris dedit. Hinc est etiam quod Ioan. II. legimus, eum à seipso turbatum. In quem locum scribens A V G V S T I N V S tract. 49. in Ioan. *Non est, inquit, dubitandum, eum non animi infirmitate, sed potestate turbatum.* Vide totum sermonē, vbi de hac re multa præclare dicit.

Q V A R T V M argumentum ex Matth. 27. vbi Christus exclamat: *Deus meus, Deus meus, & quid me dereliquisti?* Videtur enim Christus non potuisse in hæc verba prorumpere, nisi apprehendisset Deum, vt sibi iratum & infensum.

R E S P O N D E O, Nullam fieri hęc mentionem iræ Dei erga Filium, sed solius derelictionis; dereliquit enim Deitas humanitatē in pœnis, & cū posset eam inde eripere, noluit, vt sacrificium perficeretur, quo mundus redimendus erat. Voluit autem Dominus hoc modo clamare, vt intelligeremus, illum verè grauissimos dolores pertulisse, & non sua culpa pertulisse. Id enim significat illud, *Quare, ac si diceret, non est in me caussa huius pœnæ.*

Q V I N T V M argumentum ex Act. 2. *Quem Deus suscitauit solus doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri*

neri

» *neri illū ab eo.* Nam si nō pertulit Christus dolores inferni,
 » quomodo potuit ab illis solui? Quis enim soluitur à vincu-
 » lis, quibus nunquam fuit ligatus?

Respondeo, PRIMO in Græco legi, solutis doloribus mortis,
 & *ἰσχυρῶν*, & sensum esse, secundum Chrysostomum & Oe-
 cumenium, quod Deus per Christi resurrectionem ipsam
 mortem à doloribus liberauerit; mors enim quasi dolorem
 patiebatur, cū Christum detineret, quem tenere non po-
 terat. Sed fortè planior sensus erit, si dicamus, Christum sua
 resurrectione destruxisse ac dissoluisse mortem cum omni-
 bus doloribus, qui illam comitantur. Resurrexit enim im-
 mortalis & impassibilis.

Quòd autem CALVINVS per dolores mortis intelligi vult
 dolores, quos parit maledictio & ira Dei, quæ origo mortis
 est, & proinde dolores damnatorum: nimis longè petrum
 est. Nam si, quia ira Dei fuit causa mortis, ideo dolores quos
 patiebatur in morte Christus, erant ab irato Deo, & dolores
 damnatorum dici poterant; eadem ratione omnes qui mo-
 riuntur, etiam martyres, haberent Deum insectum, & pater-
 rentur dolores gehennæ. Est igitur ira Dei causa remota &
 generalis ipsius mortis: tamè proxima & particularis causa,
 sapissimè est benevolentia & gratia specialis Dei, in Augusti-
 nus dicit lib. 13. ciuit. Dei, cap. 6. & alibi. Et ipse David, qui ce-
 nit: *Preiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Psal.
 115. Et Ioannes audiuit vocem de cælo dicentem sibi: *Beati
 mortui qui in Domino moriuntur.* Apoc. 14. Deniq; Paulus
 mortem lucrum sibi esse dicebat, Philip. 1.

Dico SECUNDO, in nostra editione Latina haberi: *Solu-
 tis doloribus inferni*; quæ lectio fortè est præferenda Græcæ.
 Nam IRENAEVS lib. 3. cap. 12. legit doloribus inferorum. Et
 Augustinus epist. 99. ad Euodium, & alij similiter legunt, ut
 docet Augustinus, duplex sensus esse potest. VNVS (Solutis
 doloribus inferni) id est, irritis effectis. Soluti enim Christus
 dolores inferni, nō quibus tenebatur, sed ne teneretur: *Quo-
 modo, inquit Augustinus, solui possunt laquei Senarum, ut
 teneant, non quia tenuerunt.* ALTER est (Solutis doloribus in-
 ferni) quibus teneri ipse non poterat, sed quibus tenebantur
 alij, quos ipse nouerat liberandos. Vbi Augustinus non solum
 explicat rectè hunc locū, sed etiam pro confesso assertit con-
 trarium eius, quod Calvinus probare intendit.

SEXTVM argumentū ex illo Heb. 5. *In diebus carnis sue* ut
preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere ut
à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus ut
est pro sua reuerentia. Vult enim CALVINVS illud (*pro sua* ut
reuerentia) debere sic intelligi, Exauditus est à suo metu, ut
ἀπὸ τῆς ἐυλαβείας, quasi dicat, Christus non orabat ut non
 moreretur, sed ut non absorberetur ut peccator, id est, ne da-
 mnaretur in æternum, & ab hoc metu perdendæ salutis æ-
 ternæ per paternam exauditionem liberatus est.

At oportet Calvinum ostendere *ἐυλάβειαν* accipi pro
 metu pœnæ; significat enim pietatem & reuerentiā, & pro-
 inde etiam merū reuerentialem. Ipse enim Calvinus in cap.
 2. Lucæ, ubi nos legimus de Simeone, quod esset timoratus,
 ipse legit, pius, & exponit de vera pietate, & tamē vox Græca
 est, *ἐυλαβής*.

BEZA quoque in annotatione ad eundem locum Euan-
 gelij, ita scribit: *Ευλάβεια significat, non quemcumq; timo-*
rem, sed cum reuerentia potius quàm cum animi trepidatio-
ne coniunctum; Latini religionē vocant. At si ita est, cur Heb.
 5. eandem vocem accommodare conantur Calvinus & Beza
 ad metum mortis æternæ, coniunctum cum summa trepi-
 datione?

Sed BEZA vrget, voculam illam, *ἀπὸ*, quā dicit non pos-
 se accipi pro particula, *Pro*, vel, *Propter*; sed pro, *Ex*, vel, *Ab*.
 & quia absurdum videtur, Christum voluisse liberari à pie-
 tate & religione sua, ideo vertendum existimat, à metu, vi-
 delicet mortis, aut damnationis. At profectò facilius nos
 ostendemus, voculam, *ἀπὸ*, cum genitiuo idem significare,
 quod *διὰ* cum accusatiuo, quæ omnium consensu signifi-
 cat, *Propter*, quàm Beza possit ostendere *ἐυλάβειαν* accipi
 pro metu pœnæ. Nam Matth. 13. vers. 44. Luc. 24. vers. 41. &
 Act. 12. vers. 14. legimus, *ἀπὸ χαρᾶς*, præ gaudio, siue ob gau-
 dium, Luc. 22. vers. 45. *ἀπὸ τῆς λύπης*, ob tristitiam. 2. Ma-
 chab. 5. vers. 21. *ἀπὸ τῆς ὑπερηφανίας*, ob superbiam, ut ibidē
 explicatur per alias voces, *διὰ τὸν μετεωρισμὸν τῆς καρδίας*,
 ob elationem cordis.

Quare

Quare Chrysoſtomus, Theophylaſtus, Oecumenius in hunc locum, exponunt illam vocem de ueneratione, quæ Christo debebatur, ut ſit ſenſus, Exauditus eſt, quia merebatur exaudiri, cum eſſet digniſſimus omni honore & reuerentia, vel, Exauditus eſt ob reuerentiam, qua ipſe Patrem ſuum proſequebatur. Et certè negare nõ poſſunt aduerſarij, quin Chryſoſtomus, Theophylaſtus, Oecumenius Græcas paraſes intelligerent.

Quid, quod ERASMVVS quoq; in annotationibus ad eundem locum, per *εὐλαΐαν*, reuerentiam & pietatem intelligi debere docet? eſſi autem non certò ſcimus quæ fuerit hæc oratio, de qua Paulus agit hoc loco, tamẽ probable eſt, eam eſſe, quam Dominus in horro fudit imminente pæſſione. In eo autẽ exauditus eſt, quod abſolutè periit, nimirum ut fieret voluntas Dei in morte ſua, vel ut liberaretur à morte per reſurrectionem.

SEPTIMUM argumentum ſumit Calvinus ex HILARIO, qui lib. 2. de Trinitate ſic ait: *Crux, mors, inferi, noſtra ſcrua ſunt.* Et lib. 3. *Filius Dei, inquit, in infernis eſt: ſed bono reſertur ad cælum.* Et lib. 4 dicit, per deſcenſum Chriſti ad inferos id nos cõſecutos, ut mors perempta ſit. Et in ſine libri *Mortem, inquit, in inferno perimens.*

RESPONDEO, miram eſſe Caluini impudentiam in Hilario citando, cum conſtet, Hilarium vix dolores corporis in Chriſto agnouiſſe. Certè Theologi multum laborant, ut oſtendant, ab Hilario non eſſe omnino negatos Chriſti dolores.

Præterea in lib. 10. de Trinitate refellit ex profeſſo Caluini hæreſim, ac docet, Chriſtum non potuiſſe vllò modo metuere dolores inferni, pag. 195. *Lazaro, inquit, in Abrahamiſibus latante, infernum chaos Chriſtus timeret? Hæc ſtulticiaq; ridicula ſunt.* Et pag. 203. *Anne tibi, inquit, metuere infernum chaos, & torrentes flammas, & omnes pœnalis crucis in Paradifo? Et infra: Dominus communionem ei pœnalis mox pollicetur, tu Chriſtum in inferis ſub pœnali terroribus concludis? Hæc Hilarius, qui tantum non nominat Caluini, cum neſcio cuius errorem confutat.*

Cum ergo dicit Hilarius, inferos Chriſti noſtrã eſſe vitam

& in inferno mortē occisam, vult dicere, Christū descendisse ad loca inferorum, vt inde Sanctos eriperet, & deinde locū illum obstrueret, ne ad eum amplius vlli descenderent, qui in eum crederent, eumque diligerent.

CAPVT IX.

*Proponitur tertius error refellendus de descensu
CHRISTI ad inferos.*

SEQVITVR TERTIA explicatio, quæ est BUCERO, in cap. 27. Matth. & BEZÆ in cap. 2. Actor. qui docet, intelligi sepulcrum in Scripturis nomine inferni; proinde nihil esse aliud, Christum descendisse ad inferos, quàm sepultum esse.

CALVINVS partim hanc sententiam sequitur, partim eam refellit. Nam in Psalm. 15. vbi nos habemus: *Non derelinques animam meam in inferno*, ipse vertit, *Non derelinques animam meam in sepulcro*. Et lib. 2. Instit. cap. 16. §. 9. cum Bucero dicit, fabulam esse, quòd sint loca animarum subterranea, & quòd ad ea Christus descenderit; tamen in hoc dissentit, quòd descensum Christi ad inferos, qui ponitur in Symbolo, non vult esse sepulturam, sed, vt iam refutauimus, descensum ad pœnas damnatorum.

Si quis petat à Caluino & Beza, vbi fuerint ante Christi mortem animæ iustorum. Respondent, fuisse in cœlo, licet nec viderint Deum, nec sint visuræ vsque ad diem iudicij. Ita Caluinus in psychopannychia, & Beza in libro contra Brentium de Christi maiestate, parte secunda, vbi de ascensione disputat.

Ad refutationem igitur huius sententiæ tria probanda sunt. PRIMO, inferos esse loca subterranea distincta à sepulcris. SECUNDO, animas ante Christi mortem non fuisse in cœlo, sed in inferno subterraneo, & proinde Christum, qui ad locum animarum descendit, in infernum subterraneum descendisse. TERTIO, directè Christi animam descendisse ad inferos, à sepulcro distinctos.